



16

1^a

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10

11.

12



DISPUTATIO JURIDICA

807.

DE

DEPOSITO

1653, 14.

QUAM

Disp. 112.

DIVINA ANNUENTE GRATIA

12

SUB PRÆSIDIO

Nobilissimi, Consultissimi & Excellentissimi

VIRI

Dn. JOH. OTTONIS TABORIS,
U. J. D. ET ANTECESSORIS IN INCLU-
ta Argentoratensium Universitate Primarii, Juridicæ Fa-
cultatis p. t. Decani, Codicis & Placitorum Feudalium
Professoris celeberrimi, Patroni Magni, Fautoris, &
Præceptoris sui, devoto animi cultu æta-
tem prosequendi,

Instituit & Proposuit

JOH. HIERONYMUS TREUDEL,
MENO-FRANCOFURTANUS.

Ad diem 16. Junii.

ARGENTORATI

Typis JOSIÆ STÆDELII, ACADE-
MIÆ TYPOGRAPHI.

Anno M DC LIII

7

110

28.



Nobilissimo Domino Respondenti,
Consalino suo



Mod' soleo, tereti scribo pro carmine

(votum,

Adspiret captis aura benigna tuis,

Ut patria quondam possis prestare, quod illi

Prestitit officium non sine laude Pater.

f. Præses.

Depositum ingenii quantum, TREUDLere, sagacis
Possideas, doctum hoc DEPOSITUM loquitur.

Ita Tibi insignem sine fine scientia famam
Adferet, & sparget nomen in orbe tuum

Amoris E. apposuit

Jacobus Schaller, SS. Theol. D. &
Phil. Pract. Prof. P.

Depositi quando naturam & jura resolvis,
TREUDELJ, ingenii dexteritate tui;

Naturæ excultum sic vis solvissè Talentum,

Quale tuæ fidei depositum esse liquet.

Quo tamen id reddis magis, hoc magis illa reponit,

Et benè servanti præmia larga dabit.

Boni ominis causa properanter adjecit

M. Joh. Matthias Schneuber, P.L.C.
Gymnasarcha.

Præcell.

Præcellenti Dn. Treüdelio, Consobrino
suo, de Deposito disputanti.

Pande tuum, Rubrica, decus: Depone recessus
TREÜDELIANEOS, Juris in arte, graves.
Pande viam, qua pressa Patris vult signa reduci:
Pande; Eadem posthac signa merentis erunt.
At mihi tunc plausus, vel nunc gratiantia mentis
Dic ubi vota forent sinceriora satis?
Ilicet: Elogio nomen, laudesque decusque
Carminè sacro, carmen ut ipse feram
Invidiâ rigente licet. —————

In peritura charta, mansurum cum fide
votum abruptè signat amittinus

Jacobus F. Rühle,
Jurium Cult.





PRAEFATIO.

Inter summos Historicos haud infimus Sallustius, non minus recte quam sapienter monet, *initio coniurationis Catilinae*, dicens: Omnes homines qui student praestare caeteris animantibus, summam ope niti decere, ne vitam silentio transigant veluti pecora: Cujus insignis sententiae adhuc memor: Ne & ego plane *ἄλογος* videar (praesertim cum nil beatius sit quam scire, nil verae felicitati propius quam discere, teste acutissimo illo subtilitatum Dædalo, Scaligero,) placuit disputationem quandam pro ingenioli mei tenuitate ac iudicii imbecillitate instituire. Cum autem secundum Juris Consultos ea potissimum in Jure decidenda ac discutienda veniant, quae *ἐπὶ τὸ πλεῖστον* non quae *ἐν ἀλόγῳ* accidunt; haud alienum à me fore putavi, si in praesentiarum frequentissi-

A

mam

mam ac usitatissimam *contractus depositi materiam* aggrederer; non quidem meorum fiducia virium, sed ingenuæ exercitationis amore, fretusque lectoris æqui benevolentia: nam nec indolis aliàs meæ, ætatisque hujus captus tanto sufficeret conamini. Hæc omnia autem ut cum fructu succedant, Tu summe Jehova! da facilem cursum & cæptis annue nostris.



THE S I S I.



Um autem definitionis hæc sit potissima virtus, ut omnia dubia quæ circa rem incidunt per eam solvi possint ac debeant, sitque anchorarum omnium firmissima *teste Scalig. exerc. 301.* imo fax & anima totius tractationis, quâ rectius percepta, totum rectius percipitur negotium *Dn. Calvin. de jurisdictione*: Itaque & nos propositi nostri exordium ab ipsa definitione ducemus. Est autem ea vel nominis vel rei. Illa iterum subdividitur in Etymologicam, Homonymicam & Synonymicam.

I I.

Quod Etymologicam attinet, eam non esse prorsus negligendam, patet exemplo Jurisconsultorum Pauli & Ulpiani qui hunc in modum solent ordiri titulos *l. i. de iust. & jure l. i. pr. de furtis &c.* Quanquam autem variorum autorum sententiæ extent de notatione nominis

nis dep
Gifan. a
deorsu
tamen
rivatio
gnifica
te; & vo
missum
enim h

cabulu
depon
abjicer
abject
rina 2.
reipub
re cura
se cura
tur vo
pro re
den/
ipso co
(III.)
l. 186.
§. 8 &

Hi
ter au
sterio
tractu
da co
poner



nis depositi; (alii enim dictum putant quasi diu positum
Gifan. ad §. 3. Inst. quib. mod. re obligat. contrah. Alii quasi
 deorsum positum. *Mozzius de deposito nu. 2.*) putaverim
 tamen his omnibus præferendam ipsius Juris Consulti de-
 rivationem, ubi id deducit à præpositione, de, augente si-
 gnificationem, ac emphasin quandam dictioni concilian-
 te; & verbo ponere, ut ostendat, totum fidei ejus esse com-
 missum, quod ad custodiam rei pertinet. *l. 1. depositi.* fides
 enim habita, inquit Livius, ipsam magis obligat fidem.

III.

Quantum ad Homonymiam; Est hoc depositi vo-
 cabulum *πολύσημον* ac multiplicis Significationis: Nam
 deponere in genere idem significat ac abalienare à se &
 abjicere, ut *Nonius Marcellus* notat; hinc depositum pro
 abjecto, pro desperato & derelicto habetur, *Cic. in Ver-
 gina 2. ibi, itaque mihi videor magnam & prope depositam
 reipublica partem suscepisse.* Hinc etiam dicimus, de pone-
 re curam, magistratum, officium pro eo quod est exuere
 se cura, magistratu, officio. In specie vero & in jure sumi-
 tur vox depositi potissimum tripliciter (1.) materialiter
 pro re deposita, *Güter so zu trewer Hand hinderlegt wer-
 den / Statut. Hamburg. part. 2. tit. 3.* (2.) formaliter pro
 ipso contractu & tum vocatur etiam depositio, *l. 1. §. 2. h. r.*
 (III.) generaliter, ut in *l. 47. de acquir. possessione.*

Quoad Synonymiam dicitur etiam commendatum,
*l. 186. de V. S. l. 24. h. t. l. 6 & 9. C. eod. item receptum, in l. 1.
 §. 8 & l. 3. §. 2. & 3. Nauta, caupones, stabulari.*

IV.

His ita prælibatis sequitur realis depositi definitio: Ali-
 ter autem definitur spectatū, ut cōtractus, aliter ut res; In po-
 steriori significatu definitur in *l. 1. h.* Priori dici potest cō-
 tractus realis, bonæ fidei quo res alicui gratis custodienda
 committitur, eo animo, ut quancumque libuerit de-
 ponenti, in specie restituatur. *vid. D. Doctorem Taber. Pa-*

276
trorum ac Praeptorem meum singulariter ac etatem de-
nerandum. Element. part. 3. sect. 4. §. 27.

V.

Hinc resultat divisio (1.) ratione causæ efficientis, qua depositum aliud dicitur voluntarium sive consensu deliberati; quod nulla vi, nulla cogente necessitate, sponte, iudicio, ac voluntate nostra contrahitur: Aliud necessarium quod repentinæ necessitatis & periculi imminenti causa conciliatur *l. 1. §. 1. 2. & 3. cum seq. h.* nam in hoc dominus nullam aliam deponendi causam habuit, quam evitacionem imminenti periculi; *t. r. incend. ruina, naufragio.* II. ratione formæ; aliud reale, aliud confessio- natum (de quo non nisi per confessionem adversarii constat.) III. ratione finis, Aliud quidem tendit ad finem custodiae, aliud ad finem liberationis, *l. 9. C. de solut. adde C. l. A. th. 2. hic.* IV. ab effectu, ubi aliud regulare, aliud irregulare quo dominium transfertur.

VI.

Hæc de deposito in genere præfati, ipsam *ἐξερπαισιν* aggredimur, consideraturi Depositi tum consentanea, tum dissentanea; In consentaneis sunt causæ externæ & internæ. Externæ, tum finalis tum efficiens. Internæ contractus hujus possunt considerari I. in Substantialibus puta 1. Subjecto sive his qui depositum contrahere, hoc est deponere vel depositum suscipere possunt. 2. Objecto quæ res deponi possunt vel non. 3. forma. II. Naturalibus quæ ad naturam & qualitatem contractus hujus pertinent. III. Accidentalibus nempe pactis, quibus depositum varie informatur; de his omnibus itaq; ordine erit dispiciendum.

VII.

Ac primum quidem efficiens causâ remota alia est quoad originem, alia quoad comprobationem. Quoad originem, fundamentum habet Depositum in ipso jure gentium, arg. *l. 7. §. 1. de pactis. §. 2. in fin. l. de jure naturali gent.*

Et civi.

de civili. Quoad comprobationem dici potest juris civilis: quod contractum hunc jure gentium introductum auctoritate sua approbavit, quoad tenus informavit, eoq; quasi proprium civitati fecit, unde obligatio quoq; §. 1. *Inst. de oblig.* & actio civilis oriri dicitur §. 17. *Inst. de actionib.* Praetor quoq; de deposito edictum proposuit, non tantum de necessario, in casu incendi, ruinae, tumultus, naufragii, sed & de voluntario. *l. 1. §. 1. h. t.*

VIII.

Causam efficientem proximam cum Wesenbec. *w. h. t. n. 3.* constituo mutuam contrahentium voluntatem; ut sc. uterque & deponens & depositarius in re tradenda consentiant, & quidem in eandem depositi causam. Nam si ego quasi deponens pecuniam tibi tradam, tu quasi mutuam accipias; nec depositum nec mutuum erit, *inquit Ulpianus in l. 18. §. 1. de rebus credit.* Et ex parte quidem deponentis perficitur datione. *l. 1. princ. depositi.* ubi Ulpianus depositum definit, quod alicui custodiae causa datum est. Non ergo nuda sufficit conventio, ut depositi, obligatio & actio nascatur; v. g. si quis simpliciter promiserit se rei custodiam suscepturum, ea tamen nondum recepta, poterit postea pœnitere & recusando custodiam obligationis nexui se planè subducere: cum contractus re nondum sit perfectus, *arg. l. 7. §. 4. de pactis.* imo nec scriptura sufficit qua quis fatetur se ex depositi causa aliquot auri pondos, sacculum signatum & alias quasdam res secum habere; Nam cum de hac confessione quæreretur, utrū ex hujusmodi scriptura obligatio aliqua nata sit (scil. quoad pecuniae causam) respondit Jurisconsult. *Paulus in l. 26. §. fin. h. t.* ex epistola illa nullam obligationem natam videri, sed probationem tantum rerum depositarum impleri posse. Quod ideo dicitur quia depositum, cujus mētio fit in epistola, est causa obligationis; non ipsa epistola: *idque probatur in l. ult. de pecunia constitut. & l. ult. in fin. de obligat. & actio.*

A. 3.

actio.

actionib. ubi ex eo quod quis se debere scripsit nullam civilem actionem oriri, Scavola respondet; si sc. alioquin obligatus non esset: Rei itaque datio depositum inducit; scripturâ super hoc contractu factâ, probationem saltem, non obligationem constituyente; verbum dare autem hîc non significat translationem domini ut in contractu mutui, l. 2. §. 4. de reb. cred. aut traditionem possessionis, ut in empt. vendit. vel usus, ut in commodato; sed denotat translationem solius custodiae, quæ in detentione nuda consistit, vid. l. 17. §. 1. h. r. Ex parte vero depositarii acceptatione; nam apud invitum & recusantem accipere, res exitum non sortitur.

IX.

Causa *περηχταρητικη* (quæ eadem finalis etiam hic dici potest) posita est, respectu deponentis, in studio quæsitæ securitatis custodiaeque; unde depositum regulariter contrahi dicitur mea gratia, sive, ut deponentis tantum utilitas versetur. l. 5. §. 2. commodat. & passim h. r. Tamen etiam accipientis; aliquando etiam huius solius gratia contrahi putetur. v. Gloss. & Doctores arg. l. 4. si certum petatur. Moz. de deposito c. 2. n. 4. Pacius in tractat. depos. c. 4. n. 10. ubi speciem ex dict. l. 4. talem proponit: Petebas à me pecuniam mutuam sub conditione si domum emereres; Ego v. qui nec causam nec propositum fœnerandi habebam, cum cuperem tibi gratificari; essem autem peregre profecturus, deposui apud te pecuniam, ut si domum emereres, crediti nomine obligareris: antequam emereres depositum est & quidem tua solius causa contractum. C. 1. A. th. 2. verbo: & vel tua scil. depositarii gratia. Aliis id negantibus v. Treutlerus 1. disp. 26. t. 3. l. B. & ab eo allegati Gomez. 2. var. resolut. 6. n. 2. Gabriel. 3. com. concl. 6. n. 2. & c. Inspiciendum esse arbitramur etiam hoc casu quid actum sit: Nimirum deposui aut ultrò (te non rogante mutuam pecuniam) & addidi legem, ut pecunia deposita tibi (qui alias non solebas fœnerari) uti liceat, vel tacite id dixi, paciscens ut tantundem redderes. Hoc casu est &

manet

manet de
tra pactu
ultrò, se
misi tibi
utrum h
ro ex int
depositu
fitum eff
credit is.
iste celeb

Sequ
dem sub
agens est
thent. si
tradit. Et
mediate
deponer
unus l. 1
juris (u
§. 29. h. r.
son. nob.
bonâ fide
son. cui g
lig. & a
dei poss
tractu h
tibus re
quæ in
restitui
men pr
tionem
cū min
te debe



manet depositum, usureq; debebuntur vel ex pacto, vel ci-
 tra pactum sicubi mora intercesserit *l. 2. §. 1. h. t.* Aut non
 nitro, sed te rogante aut foeneratitiam exercente, & per-
 misisti tibi ea uti, mutui nomine; tum v. subdistingendum;
 utrum hoc permiserim statim ab initio contractus, an ve-
 ro ex intervallo; priori casu antequam utaris, est & manet
 depositum. Posteriori vero, etiam antequam utaris, depo-
 situm esse desinit, & incipit esse mutuum. *l. 9. §. ult. de reb.
 creditis.* Interdum etiam mea & aliena gratia contractus
 iste celebratur *l. 26. §. 1. h. t. vid. C. l. A. t. 2. h. t.*

X.

Sequuntur cōtractus hujus Substantialia; & primò qui-
 dem subiectum, quod est vel agens vel patiens. Subiectum
 agens est deponens (qui etiam depositor dicitur *in Au-
 thent. si jam caurum. C. h. t.*) qui rem alteri custodiendam
 tradit. Et vel immediate & in propria persona vel per alios
 mediate deponi potest. Immediate & in propria persona
 deponere possunt, tum domini rerum (tam plures, quam
 unus *l. 1. §. 44. h. t.*) tum non domini; homines tam alieni
 juris (ut servi *l. 10. h. t.* sive sint hæreditarii vel proprii. *l. 1.
 §. 29. h. t.* sive usufructuarii, *l. 1. §. 28. h. t. §. 2. Inst. per quas per-
 son. nob. oblig. acquir.* sive cōmunes, *l. 1. §. 31. h. t.* sive etiam
 bonâ fide possideantur. *l. 1. §. 27. h. t. §. 4. Instit. per quas per-
 son. cuiq; acquir.* itemque Filii familias, *l. 19. h. t. l. 9. de ob-
 lig. & actionib.*) quam sui juris, tam bonæ, quam malæ fi-
 dei possessores, ut latro, fur, prædo; adeo ut etiam ex con-
 tractu hoc agere possint. *l. 1. §. si prædo. 39. h. t.* hisque agen-
 tibus res deposita etiam restituenda sit. Nam bona fides
 quæ in hoc contractu præ cæteris exigitur, ei depositum
 restitui jubet à quo acceptum est, *l. 31. §. 1. h. t.* Dominus ta-
 men prior agens illis præferendus est. *d. l. 31. §. fin. h. t.* per ra-
 tionem ibi subiectam, quod in pugna æquitatis majoris
 cū minori, major, quæ ex parte Domini hic militat, vince-
 re debeat minorē, quæ est ex parte furis aut prædonis. Ita
 enim

110

civilem
 atus non
 rā super
 ligatio-
 gnificat
 §. 4. de
 vendit.
 nem so.
 d. l. 17. §.
 apud in-
 titur.
 hic dici
 quæ sita
 ter con-
 m utili-
 si etiam
 ontrahi
 : Moz.
 ubi spe.
 iam mu-
 causam
 i grati-
 re pecu-
 is: ante.
 contra.
 i gratia.
 & ab eo
 conel. 6.
 oc casu
 ogante
 deposi-
 el tacite
 su est &
 manet

enim suum cuiq; iustitia tribuit, ne ab ullius personæ iustiore repetitione distrahatur. *conf. Gramondum lib. 2. Hist. Gallic. p. 117. ubi exemplum.* Ratio autem cur hi, etiam si sint iniusti rerum possessores, deponere tamē res istas furto raptoque ablatas possint, hæc est: quia sc. per hunc contractum nil decedit vero domino de rei suæ dominio, sed tantum custodia alteri committitur, *l. 17. §. 1. h. t.* Et hæc etiam ratio esse videtur, quod & publici iudicii reus deponere possit. *l. 31. h. t.* Potest etiam deponere creditor pignus *l. 9. C. de pigner. act.* depositarius rem depositam, *l. 16. h. t.* pupillus §. 1. *de Inst. de auct. tutor.* Mediate vero & per alios deponere possunt Domini rerum idque vel per servos *l. 1. §. 27. h. t.* non proprios tantum; sed & usufructuarios, si sc. id quod deposuerunt ex eo peculio fuit, quod ad eos spectabat, vel res eorum fuerunt, *l. 1. §. 28. h. t.* item per eos qui bona fide serviūt, per hos enim, si res ad eos pertinentes deposuerunt dominis actionem dari æquissimum esse, Ulpianus ait *d. l. 1. §. 27. h. t.* similiter per servos hæreditarios hæredi postea adveniēti & per servos communes unicuique dominorum pro rata acquiritur & depositi actio competit, *dict. l. 1. §. 29. & 31. h. t.* vel per homines liberos non eos solum qui sunt in potestate nostra, veluti per filios familias; sed & eos qui sunt sui juris, ut per procuratores. *l. 1. §. 11. h. t.*

XI.

Succedit *subjectum patiens*, quod est depositarius, qui est vel persona publica vel privata. Publica *L. Magistratus, officialis seu iudex;* Apud hos enim deponi solent pecuniæ sive res litigiosæ tantisper donec lis finem accipiat; quod depositum apud officium fieri dicitur, *l. 7. §. ult. qui satisfac. cog. l. 11. §. 1. vers. proinde. ad exhibendum,* quanquam hoc depositum fere est sequestrarium. *vid. Wesenbec. num. 4. & ibi Bachov. II.* Ii quibus cura & custodia ædium sacrarum commissa est, quæ de-

positio

positio
fieri Ju
h. t. l. 73
tum ap
Macch
quo cu
teste Th
fuisse Ju
næ dep
Talia lo
de agric
tarii siv
autor. ju
Qua
omnes
te eligi
vero tu
h. t. l. 11
fidejusse
sint ma
§. 1. de
nam S
Quod
obliga
pillus,
& filiif
nus eti
potest,
stitoria
eum e
proba
de Inst



positio in eade sacra fieri dicitur, in eoq; loco depositionem fieri Jurisconsulti sæpe jubent *l. 5. in fin. h. t. l. 1. §. 36. & 37. h. t. l. 73. de procurator.* Sic in templis & locis sacris depositum apud Judæos quoque frequentatum fuisse ex lib. 2. Macchab. c. 3. videre est. Atheniensibus initio ærarium in quo custodienda publica deponerentur, erat Deli templum teste *Thucydide*, Romanos pecunias in æde Castoris deposuisse *Juvenalis. Satyr. 14.* testatur. Sic etiam in templo Dianæ depositum fuisse patet ex *Æmilio Probo in Hannibale*. Talia loca etiam sunt *κρηνηλαρχείον* civitatis, *l. litib. 20. §. 1. C. de agricolis & censitis*, ut in hac urbe die *Münse*. II. Argentarii sive numularii, *l. 7. §. penul. & l. seq. h. t. l. 24 §. 3. de reb. autor. judic. possidend.* apud hos n. deponi solet atq; potest.

Quantum ad personas privatas, dicimus I. in genere omnes posse depositum suscipere quorū fides à deponente eligitur, quique specialiter non prohibentur. In specie vero tum Servæ (nam & apud servum deponi *l. 1. §. 18. 42. h. t. l. 11. h. t.* ejusq; rei nomine fidejussor accipi potest *l. 2. de fidejussor.*) tum Liberæ, eaq; non tantum sui juris, sive illæ sint majorenes, (etiam apud plures simul *l. 1. §. 43. h. t. l. 9. §. 1. de duob. reis*) sive minorenes, ut pupillus, *l. 1. §. 15. h. t.* nam & apud pupillum tutore auctore recte deponitur; Quod si vero sine tutoris autoritate de facto deponatur, obligatio depositi tum demum nascitur si dolo fecerit pupillus, vel locupletior ex deposito factus sit *l. 1. §. 15. h. t.* Sed & filii familias, *l. 1. §. 42. l. 21. h. t. l. 49. de obl. & Act.* non minus etiam apud institorem & mensæ præpositum deponi potest, ita ut deponenti adversus dominum ejus actio institutoria competat; dummodo ejus negotii causa quod per eum exercebatur depositam pecuniam, nec redditam probari possit, ut constat ex rescript. *Alexandrino in l. 3. C. de Instit. & exercit. actione.*

XII.

Haftenus de materia subjectiva; sequitur *objectiva*,

B

earum

earum sc. rerum circa quas depositum versatur. Sunt autem illæ *potissimum corporales*; nec refert propriæ sint deponentis an alienæ: nam alienæ quoq; res deponi possunt, ut fūr latro atq; prædo res etiam furtivas aut vi ablatas deponere potest & depositi actione uti. *l. 1. §. si prædo. l. 64. de iudic.* Interest tamen an res deposita propria sit depositarii; (nam apud dominum regulariter cum effectu deponi nequit, *l. 15. h. t.* partim quia bona fides non patitur quemquam compelli rem suam alteri reddere, quod hoc casu fieret: partim quia dominus suo Et proprio jure rem suam tenet atq; custodit, nec de custodia alii tenetur vel obligatur. Excipiunt Doctores eum casum, quo res propria depositarii, deponitur apud eum, respectu possessionis, quæ est apud alium, puta deponentem, *arg. l. 28. de acquir. vel amit. possess.*) Porrò res corporales sunt vel principales vel accessoriæ. Principales iterum vel mobiles vel immobili-
Q. les, quod posterius quidem contrariis Dd. opinionibus varie agitur, siquidem Treutl. *l. d. 26. §. 5. l. f. C. l. A. t. 5. h. t.* & Wesenb. illis verbis *QUÆ SUB FACTUM* (sc. traditionis depositionis.) *CADUNT*, negativam tenent. *Adde Locam. q. 283. Pacius vero in tract. deposit. §. 8. n. 33.* (quem sequuntur Goed. *de sequest. n. 10.* Kubach. *cent. 1. q. 5.* Boc. *2. dis. 10. §. 7.* Knipschild *exercit. 4. q. 1.*) affirmativam tuetur. Ego putaverim hic dist. inter regulam & exceptionem, quod regulariter quidem depositum tatum sit rerum mobilium, postquam autem Jure Canon. possessionum sequestratio recepta est, etiã res immobiles eo jure in depositum cadere ostendit Ampliss. Dn. Præses *Part. Element. part. 3. sect. 4. §. 27. in eub. §. 1.* *Adde Bachov. ad Treutl. §. 4. in f. ubi dist. inter depositum regulare & proprie dictum, quod proprie est tantum rerum mobilium; & irregulare seu analogum, quo natura depositi nonnihil alteratur: ut hoc modo res immobiles quoque in depositum veniant.* Mobiles sunt vel species vel quantitates seu res fungibiles, ut sunt frumentum, vinum, oleum, pecunia numerata. Spe-

Species vero iterum sunt vel inanimatae vel animatae;
 Inanimatae ut vestimenta *l. 1. §. 8. h. t. arca; disci purpura vel lana, l. 1. §. 40. h. t. tabulae testamenti, l. 1. §. 38. h. t. instrumenta l. 5. §. 6 h. t.* Haec vero iterum sunt vel dividuae ut pecunia vel individuae, ut lanx. quae dist. magnum usum habet circa rei restitutionem, *vid. l. 22 h. t. Pacius §. 8. n. 36.* Animatae ut homo; qui vel *servus* & is haud dubie deponi potest, *l. 1. §. 5. 9. h. t. l. 7. eod. vel Liber;* qui licet in depositum proprie dictum non cadat, in sequestrum tamen venire videtur *l. 1. §. 6. de liberis exhibend. cap. ex transmissa. 7. de restit. spoliat.* II. Animal, ut equus *l. 1. §. 5. h. t.* Sequuntur accessoriae exque vel continentis aut contentae, quae etiam depositae intelliguntur, *l. 1. §. 41. h. t. vel simpliciter accessoriae quae non veniunt in necessariam consequentiam, vid. Barbosa de accessoriis. n. 4.* de his depositarius non tenetur quidem principaliter; dolum tamen praestat, *Pacius n. 40.*

XIII.

Succedit consideratio causae formalis, quae juxta vulgatam Dd. distinctionem triplex proponitur. Essentialis, naturalis, accidentalis. *Essentialem* quod attinet perficitur iste contractus rei traditione custodiae causa facta, conjuncta cum depositarii gratuita acceptatione, *l. 1. §. 5. de O. & A.* Principalis enim causa hujus contractus dicitur esse custodia & in hoc differt ab aliis omnibus contractibus. etiam realibus, ut a mutuo in quo dominium transfertur. *l. 2. §. 2. & 3. de reb. credit. §. 1. Inst. quib. mod. re cont. oblig. a com. modato in quo usus, l. 1. §. 1. Commodati §. 2. Inst. quib. mod. recont. obl. a pignore in quo neque dominium neque usus transit, sed eam ob causam res datur, ut quis securus sit de debito, §. ult. Instit. quib. mod. re contr. obligat. & generaliter quotiescunque res quaedam alicui datur non tam custodiendi quam alterius rei gratia, in alium protinus contractum negotium transit, veluti cum instrumenta procuratori ut ex his litem instruat, dantur; non depositi sed*

B 2 man.



mandati actio nata dicitur *l. 8. Mandat.* Uta. hic contractus verè ab aliis discernatur, duo insuper requiruntur; unum ut custodia committatur principaliter ac primariò; nam etiam in aliis contractibus custodia venire & præstari dicitur v.g. in commodato, *l. 5. §. custodiam commodat.* in pignore *l. 13. §. ult. de pign. act.* in emptione venditione, *l. 35. §. 4. de contrah. empt.* Verum id ibi contingit non ^{ex pacto} & ex contrahentium conventionem principali; sed saltem in consequentiam ex contractuum illorum natura accidentali; unde etiam in iis conveniri potest ne custodia præstetur, quæ conventio in hoc contractu non obtinet sed invalida est. Alterum est ut custodia alicui committatur statim ab initio contractus depositi, non ex post facto alii (priori contractui) adjiciatur; id enim si fiat depositi actio non erit, v.g. si tibi mandavero ut rem ab aliquo meo nomine receptam custodires, idq; feceris, mandati actionem competere, non depositi, inquit Jurisconsultus in *l. 1. §. 13. h. t.* quia hic mandati contractus fuit primus: idem est si rem tibi dedi, ut si Titius eam nō recepisset, tu custodires, is vero eam nō recepit, hoc casu idem obtinere inquit Ulpianus & mandati non depositi actionem esse; quia plenius fuit mandatum habens & custodiæ legem, *l. 1. §. 12. h. t.* Modi vero quibus custodia committi depositario solet, varii sunt: Etenim vel verbis exprimitur custodiæ commissio vel re ipsa & factis: verba quibus committitur custodia hæc sunt, depono, servandum vel custodiendum *do l. 1. §. 11. & seq. h. t.* commendo, mando, rogo *l. 24. & 26. h. t. l. 6. & 9. C. eod.* Facta quibus custodiæ hujus commissio aut susceptio significatur, sunt illa, ex quib. animus deponendi aut depositum suscipiendi facile intelligi potest etsi nominatim id expressum non sit v.g. si quis vestimenta sua balneatori servanda dederit, nec ulla merces intervenit, hoc facto custodia commissæ censetur, & depositi actio locum habet, *l. 1. §. 8. h. t.* Idem est si quis servum custodiendum

dum conjecerit forte in pistrinum, ita ut nec de mercede
 custodiae causa neq; de operis servi (ut eas forsan praestaret
 pistrinario) quicquam actum *l. 1. §. 9. h. t.* Idem statuit Ju-
 risconsult. *in l. 25. h. t.* si v. g. die sponsaliorum aut postea res
 oblatas puellae, quae sui juris fuit, pater suscipiat; Ex ea
 enim receptione tam pater quam haeres ejus recte conveni-
 ri potest ut exhibeat, *d. l. 25.* Non etiam nudus sufficit con-
 sensus; In hoc enim contractu consensus non requiritur
 pro forma (prout fieri assolet in contractibus consensua-
 libus) sed tantum pro causa efficiente. Quæstio hinc ex-
 surgit an & rati habitio pro consensu sufficiat in deposito?
 Putamus id affirmandum cum Hackelmanno *diss. 10. t. 5.*
 sufficit enim intentio deponentis ex qua judicatur natura
 contractus, qui tum statim natus est, cum ego consensi &
 ratum habui factum deponentis, *arg. l. 1. §. ult. naut. caupo.*
stabular. l. 9. §. ult. vers. quid enim interest de iur. dot. Pacius
in tract. depos. n. 44. Incidit hic & illa variè inter Doctores
 agitata quæstio utrum videlicet res æstimatione queat depo-
 ni? *Affirmativam tenet Cujac. in Papiniano ad l. 52. de do-*
nat. inter vir & uxor. C. l. A. 0. 6. n. 8. 0. 7. n. 8. Negat vero
 Wesenbec. *in 7. h. t. n. 5.* ubi depositum custodiae causa ce-
 lebrari docet; eo fine ut res eadem in specie reddatur, nec
 excipit casum æstimationis; sed tantum rerum fungibi-
 lium (de quo in quæst. sequenti.) Cui adstipulatur Har-
 precht. *ad §. 3. Inst. quib. mod. re contrah. oblig.* Prior tamen
 sententia verior videtur; licet enim res egrediatur notif-
 simos depositi terminos (quia depositum plerunque da-
 tur ut idem in specie reddatur, non pretium aut æstima-
 tio) quia tamen contrahentes id initio egerunt ut sit &
 maneat depositum, non fecit pactum æstimationis ut de-
 sinat esse depositum. Atque ita in hac specie etiam dist.
 Dn. Fratzk. *Exercit. 9. quæst. 8. p. m. 284.* Restat illa quæ-
 stio: Si res quæ pondere, numero vel mensura constant
 ita deponantur, ut depositarius tantundem reddere cogatur,
 B 3 tur,

Q.

Q.

Q.

7

041

28.



218
tur, an tum dominium in depositarium transferatur? *Affirmativam* tuetur Azo in *summa C. hic quem sequuntur Dd. comm. ut & Wesenbec. in 7. h. t. nu. 5. Treutlerus l. d. 16. §. 6. l. c. ubi dicit recte Doctores hinc inferre, quod in tali casu transferatur dominium. A quibus tamen dissentire videtur Pacius in tract. de pos. §. 41. memb. 4. non traditione, sed consummatione demum vel redditione aut solutione alterius generis dominium translatum videri: quem etiam sequitur C. l. A. h. §. 7. n. ult. Verum & hic dist. videtur inter pactum solum, sive absolute spectatum & accedens factum contractationis. pactum solum non mutat naturam contractus, quippe qui ab initio ex intentione contrahentium erat formatus, cum autem cōtractatio rei depositæ accedit, ususq; aut abusus ea mente intercadit ut tantundem restituatur; tum dominium transfertur.*

XIV.

Sequuntur hujus contractus Naturalia: quorum aliud est commune aliud vero proprium. Commune cum aliis quibusdam negotiis, quod (1.) sit gratuitum; nam regulariter res gratis custodienda committitur, l. 1. §. 8. 9. h. t. Unde est quod si depositarius postea rem nolit restituere nisi recepta mercede, agi possit adversus ipsum etiam depositi, l. ult. h. t. & conditione ob turpem causam, l. ult. de condict. ob turp. caus. Quod si vero hoc actum sit inter contrahentes, ut pro custodia aliquid præstetur; transit negotium in aliud genus contractus, puta vel locationem & conductionem, si merces intervenit. l. 1. §. 8. h. t. §. ult. Inst. Mandat. vel contractum innominatum ex quo præscriptis verbis actiones; puta si non merces, sed aliud quid præstetur, veluti si servus custodiendus eâ lege detur ut depositarius operis ejus utatur. l. 1. §. 9. h. t. Aliquando tamen quo minus ex causa honorariû accedat (prout quandoq; fit in aliis contractibus gratuitis l. 6. Mandat.) nil obstat, l. 5. §. 2. commodat. l. 2. §. 24. vi bon. rap. II. ut quando-
cunque

unq; exigenti illico res eadem restituarur, etsi in contra-
 tendo illud expresse actum non fuerit, *Wesenb. in w. n. 5. C.*
7. h. r. tacite namq; id actū subintelligitur. Deponere enim
 vel custodiendum dare nil aliud est, quā ita alicui rem tra-
 dere, ut de ea a nobis deposita, nil transferatur in accipien-
 tem, sed ut eadem retineatur atq; adeo per eius custodiam
 magis retineatur; cui jam consequens est ut reposcenti-
 bus iis, qui deposuerunt, quodocunq; velint restituarur.
 Restitutio à recte fieri tum dicitur, si fiat in eadem re, iis-
 que personis quibus oportet, & deniq; iusto loco ac tem-
 pore. Res igitur quæ restitui in deposito debet secundum
 formam huius contractus est eadem in specie seu in indivi-
 duo. Natura enim huius contractus, *quod & supra d.* hæc
 est, ut neque dominium neque possessio rei transferatur in
 depositarium, sed sola custodia ei commendetur, *C. I. A. 9.*
7. n. 5. Cui jam consequens est, domino rem suam repo-
 scenti, restitui eam oportere & quidem eandem in specie:
 imo etiam regulariter in eadem qualitate & bonitate. *l. 1.*
§. 16. h. r. nam si res deposita factō depositarii deterior red-
 datur atque data erat, quasi non reddita censetur, *l. 42. ad*
leg. Aquiliam. Et hæc de re quæ restitui debet. Sequuntur
 personæ quibus restitutio faciendā, quæ sunt vel ipse depo-
 nentes, aut quibus hæ restitui iusserunt, *l. 26. h. r.* vel hære-
 des earum. In ipsis deponentibus dist. an sint homines li-
 beri an servi. Liberis hominibus deponentibus & repo-
 scentibus regulariter restituenda res est, sive propria eo-
 rum fuerit sive aliena, *l. 31. §. 1. h. r.* excipiuntur duo casus. I.
 cum verus rei depositæ dominus cum fure aut prædone
 concurrat; nam hoc casu dominus his præfertur quia il-
 lius iustior est repetendī causa *dict. l. 31. h. r.* II. cum depo-
 nens postea deportatus est. *l. 31. princip. h. r.*

Servis vero deponentibus debet restitui depositum
 vel ipsis servis vel illorum dominis, uter scil. ex his prior
 rem depositam repetierit; nam quod servus deposuit, is
 apud

apud quem depositum est, seruo rectissime reddet ex bona fide, *inquit Juriscons. in l. 11. h. t.* quia bonæ fidei non convenit, abnegare id quod quis accepit: sed debet reddere ei à quo accepit: & quidem seruo restitui potest tam in servitute manenti *l. 11. h. t.* quam manumisso, si sc. quis ignoravit manumissum vel alienatum, *d. l. 11.* ignorantia enim excusat à dolo. Restitutione ita servis factâ, depositariis liberatio contingit sub duplici tamen exceptione I. dummodo bona fide reddant; II. si nulla causa interveniat, quare putare possint dominum reddi nolle; atque ita ipsis deponentibus restitutio facienda. Mortuo vero deponente hæredibus illius restitutio facienda est; qui vel est unus, ei; haud dubie integra restituenda est, *l. 1. §. 46. h. t. l. 8. §. 3. de opt. legat.* vel plures iiq; vel Certi, ubi si omnes simul repellant sine periculo restituitur, sin vero unus; tum dist. an res sit dividua ut pecunia, & tunc ei sua pars restituenda est, cum cautela *l. 1. §. 36. h. t.* an individua, & tum, si quidem satisfactionem idoneam præstare paratus est de partibus reliquorum cohæredum, omnes res depositarius ei restituere tenetur; satisfactio enim succedit loco rei *d. l. 1. §. 36. h. t.* Vel Litigantes & tum cautionem offert vel unus tantum de depositario defendendo adversus alterum, & ei potius reddenda res est, dummodo aliqua probatione ostendat se hæredem esse *per l. 24. de hereditat. pet.* vel uterque; & tum occupantis melior erit conditio, vel denique neuter & tum neutri res restituenda est, sed deponenda in loco sacro donec de hæreditate pronuncietur *l. 1. §. 37. h. t.* Hæc de personis.

XV.

Sequitur *locus* in quo depositum restituendum; de quo *vel* convenit *simpliciter*, & ibi res deposita exhibenda est, impensis ejus qui deposuit. *l. 12. h. t.* aliàs tenetur actione depositi, *l. 5. §. 1. h. t.* *vel alternativè*, de pluribus locis, ubi electio est depositarii, *d. l. 5. h. t.* aut plane nil convenit; & tum

& tum quem sitarius ut Glossa temporales dep h. t. (c) facultas habet, res dep in horr non est obligat cum al to inte l. 105. d re ad o vel ten peti po strum restitu bebat ante n 1. §. 22 dum o tam re temp sit, atc Castre ne, qu etiam tariu re ne ad re



& tum ibi restitui potest, ubi sine dolo malo eius est, apud quem deposita fuit, *l. 12. §. 1. h. t.* neque enim tenetur depositarius rem depositam portare ad domum deponentis, ut *Glossa hic & Salycetus recte docent*. Restat dicendum de tempore quo res deposita restitui debet: ubi videndum an res deposita sit *pure*; & tum statim restituenda est, *l. 1. §. 22. h. t.* (quod tamen Marcellus ita interpretatur quatenus facultatem restituendi depositarius tempore repetitionis habet, quam facultatem, si non habeat, excusatur, puta si res deposita non est ad manus, sed forsan in provincia vel in horreis quorū aperiendorum cōdemnationis tempore non est facultas.) Liquet hinc Pauli doctrinam, dicentis, obligationem de solutione ocyus faciendam, civiliter & cum aliquo temporis tractu & ut sic dicam temperamento intelligendam esse, ne illicō cum sacco veniat creditor *l. 105. de solut.* hic locum non habere; sed tantum pertinere ad obligationes dandi) *vel non pure sed cum adiectione vel temporis post mortem meam*: & nihilominus statim repeti potest. *l. 1. §. 45. & 46. h. t.* vel *conditionis* veluti si instrumenta quis sua apud aliū deponat, ut ea tum demum restituantur, si residua pecunia, quæ ex conductione debebatur soluta fuerit: tum enim depositarius restituere ante non tenetur, priusquam conditio fuerit adimpleta. *l. 1. §. 22. h. t. l. 5. & 6. C. eod.* Quæritur hinc, an quemadmodum deponens etiam ante adiectum tempus rem depositam repetere possit, eodem modo etiam depositarius ante tempus rem depositam invito deponente restituere possit, atque ita officium semel susceptum deserere? Paulus de Castro *in l. 5. §. fin. h. t.* affirmative concludit ex hac ratione, quia depositarius obligetur ad rem restituendam, non etiam retinendam, ultra quam velit, & prout commodatarium rem commodatam, vel creditorem pignus retinere nemo cogere possit, ita nec depositarium cogendum ad retinendum depositum. Quod verum puto, nisi iusta

C causa

Q.



causa subfit, ob quā depositarius in tempeſtiva tali reſtitutione fidē fallere videatur puta quia forte deponens peregre erat abiturus, & ſi ille non recepiffet rem, alius praſto fuiſſet amicus, qui eam recepiffet cujus jam copia amplius non ſit; aut niſi cōvenerit ut poſt certum tempus demum res depoſita reſtitueretur. *l. 1. §. 45. h. t.* Naturale proprium huius contractus eſt, ut detur ad cuſtodiam, non ad uſum.

XVI.

Cognita ita depoſiti forma eſſentiali & naturali accidentia quoq; conſideranda erunt, pacta videlicet quibus depoſitum varie informatur. *Pacta* a. iſta reſpiciunt depoſiti naturam vel intrinſecam, vel extrinſecam. Intrinſecam quod attinet; tenenda hic eſt regula, quod pacta quae cōtra eſſentiā & intrinſecam depoſiti naturam cōficiuntur non valeāt; Sub diſt. tamen hic eſt inter pacta expreſſa & tacita. Expreſſa, iterum ſunt vel pura vel conditionalia. De puris in primis exaudienda eſt regula: Si enim v. g. ſpecialiter & pure convenerit, ut depoſitarius re depoſita utatur vel ut dominium rei depoſitae in eum tranſferatur: negotium tranſit in aliud genus contractus *l. 9. §. ult. reb. cred. Coman. l. 1. Comm. c. 4. n. 5.* Quod ſi ſub conditione ita pactum ſit, atq; convenerit, ut re depoſita uteretur depoſitarius *ſe vellet;* manet tantisper cōtractus depoſiti uſq; dum uti ceperit depoſitarius, *l. 10. de reb. cred. l. 1. §. 34. h. t.* Sed & tacite tale quid convenire vel conventum intelligi poteſt, v. g. ſi I. Pecunia non obſignata deponatur: ſed ad numeretur reſtituenda *l. 25. §. 1. h. t. l. 29. eod.* II. Si re fungibili depoſita convenerit, ut tantundem reſtituatur. *l. 24. l. 25. §. 1. h. t.* III. Si convenerit, ut depoſitarius praſtet uſuras pecuniae depoſitae *l. 26. §. 1. h. t.* Quod tamen an procedat inter Dd. valde eſt controverſum, ſiquidem C. I. A. id ſimpliciter affirmat *l. 8. n. 8. & l. 16. n. 4.* Negant vero ſimpliciter Weſenbec. *in q. n. 13. hic ut & Perezius. in paratit. C. h. t. num. 11.*

ibi ex.

ibi: ex pacto usuras venire non paritur depositi natura: quae
ut gratuitum officium desiderat, ita illud praestanti non debet
esse oneri: Verum dist. esse videtur inter depositum regula-
re & irregulare; in regulari tale pactum omnino non
valet, sed aut vitiat aut contractum immutat; in irregu-
lari vero, (nisi res ut species sint depositae) valet. Et si
enim his pactis etiam fiat, ut depositario uti re deposita li-
ceat: tamen id his pactis non agitur expresse & nomina-
tim, sed in consequentiam tantum & tacite. Ideoque licet
ea excedere fines atque terminos depositi dicantur in l.
24. h. t. tamen salvo contractu, quamvis jam analogo, ad-
mittuntur.

XVII.

Denique quod praestations attinet, versantur illae
circa rem vel custodiendam, vel restituendam. De cu-
stodiendo deposito pacta inita regulariter valent, ut pu-
ta I. de praestacione culpa, etiam levissimae, l. 7. §. 15. de pa-
ctis. Licet enim in hoc contractu sua natura tantum do-
lus cum lata culpa praestandus ac cavendus veniat, l. 1. C. h. t.
pacto tamen depositarius & culpa praestacionem recipere
in se potest, l. 1. §. 6. h. t. quod etiam quandoq; tacite con-
venisse videtur, si v. g. honor intervenit, l. 5. §. 2. commodat.
II. de praestacione periculi: nam & casus praestacionem
itidem & expresse & tacite (quod fit si res aestimato depo-
nantur l. 10. §. 5. de jure dot. l. 1. de aestimat. act.) in se reci-
pere depositarius potest, l. 5. §. 3. Commodati. Illud vero ne
dokus praestetur conveniri nequit, nam haec conventio
contra bonos mores est, adeoque improbat, l. 1. §. 7. h. t.
l. 27. §. 3. de pactis. De deposito restituendo pacta itidem
regulariter valent sive convenerit de loco, ut scil. res de-
posita certo aliquo loco sumptibus deponentis reddatur
l. 5. §. 1. h. t. sive de die v. gr. ut res post mortem depositarii
vel deponentis restituatur. l. 1. §. 45. & 46. h. t. (Ubi tamen
sciendum, pactum diei adjectae non praedjudicare deponen-

C 2 ti,



ti, quin voluntatem mutare & ceteriore die depositum
 repetere possit) sive denique sub conditione; veluti si in-
 strumenta quis sua apud alium deposuit, ut ea tum demum
 restituantur, si residua pecunia quæ ex conductione debe-
 tur, soluta fuerit. *l. 1. §. 22. h. t. l. 5. & 6. C. hic.* Accedunt
 porro quandoque deposito & alia adjuncta ut fidejussio,
 nam & depositi fidejussor accipi potest. *l. 2. de fidejuss. fide-*
de jussionis autem hujus duo potissimum sunt effectus,
 primus ut fidejussor deponenti teneatur non tantum ob
 dolum depositarii, si is dolo fecit, quo minus rem resti-
 tuat, aut restituere possit, sed & extra dolum ejus, ex ea
 causa, quod depositarius ejusque successor forsitan conve-
 niri nequit, puta quia is furere cepit, vel pupillus est, vel
 quia neque hæres neque bonorum possessor existit, qui de-
 positi actione conveniri possit, hoc enim casu necessario
 ad fidejussoriam actionem recurrendum est, ut fidejussor
 id præstet, quod depositi actione præstari solet. *l. 1. §. 14. v.*
plane h. t. Alter hujus fidejussionis effectus est, ut conven-
 to fidejussore, & litis æstimatione damnato, rei depositæ
 dominium depositario acquiratur, *l. 30. h. t.* perinde ac si
 ea res vendita ei à domino fuisset; litis enim æstimatio si-
 milis est empt. vendit. *l. 3. pro emptore.* Accedit etiam
 quandoque cautio, eaque duplex una ex parte depositarii,
 altera ex parte deponentis. Ex parte depositarii præstari so-
 let cautio rei depositæ restituendæ; ut si uxor apud mari-
 tum suum paraphernalia deponat *l. ult. §. 1. ut legat.* aut si
 parens apud generum, filiæ dotem, sub titulo depositi in
 cautionem conferat, ut mortua filia ipsi sit cautum de do-
 te restituenda *l. 27. h. t.* Ex parte vero deponentis præstan-
 da est cautio indemnitate depositario, ab hærede vel hæ-
 redibus, eo casu quo unus vel aliqui eorum depositum ab
 eo repetunt. *l. 1. §. 36. & l. 14. h. t.* Accedit præterea ali-
 quando huic contractui scriptura seu instrumentum; ex-
 empla requirere licet *in l. 24. & 28. h. t.* adhibentur etiam
 testes

testes ad faciliorem contractus hujus probationem. No-
vell. 73. cap. 5.

XVIII.

Superest finis hujus contractus, qui duplex est ulti-
mus & intermedius. Ultimus est utilitas & necessitas pu-
blica, ut tempore necessitatis, in incendiis, ruinis, naufra-
giis, vel etiam absentia & peregrinationis necessitate in-
gruente civium res ac facultates apud amicos salva, inte-
gra ab omniq; vi defensionis conserventur: publice enim in-
terest res privatorum non negligi, sed conservari. Finis
intermedius est respectu depositarii amicitia & officium,
ut is amico in re custodienda gratificetur operamq; suam
gratis praestet, *arg. l. 17. §. 3. Commodat.* Respectu deponen-
tis autem, est ejus rei qua data est custodia & restitutio, *l. 1.
§. 1. de oblig. & act.* ut sc. amicus rem depositam sibi quam
commendatissimam habeat, nec ea invito deponente uta-
tur, *l. 29. pr. h. t.* sed eam deponenti, quodcumq; libue-
rit, incorruptam restituat. *l. 1. §. 16. h. t.*

XIX.

Absoluta jam tractatione causarum ad effectum hujus
contractus progrediendum qui est vel primus vel ortus.
Effectus primus est mutua obligatio *pr. Inst. de auct. tut.*
& quicquid alterum alteri ex bona fide praestare oportet
§. 30. l. de act. ratione vero modi obligationis obligatur hic
directo ac principaliter is qui depositum suscepit *§. 3. Inst.
quib. mod. re oblig. contr.* In consequentiam vero & secun-
dario obligatur deponens depositario *l. 5. h. t.* ac is quidem
qui depositum suscepit ad eandem rem in specie quando-
cumq; libuerit deponenti restituendam *d. §. 3. l. quib. mod.
re oblig. contrah. l. 1. §. 5. de O. & A.* nisi aliud inter contrahen-
tes actum sit. Obligatur praeterea ad rem restituendam
non deteriore, *l. 1. §. 16. h. t. l. 18. §. 1. commodat.* Deponens
autem depositario obligatur ad praestandum id quod ipsi
abest rei depositae gratia. *l. 61. §. 5. de furtis.* Ratione effe-
ctus

C 3

Q



Quis compendiosi quaeritur: an dominium vel saltem possessio in depositarium transferatur? Quod regulariter negandum est *per l. 17. §. 1. h. t.* Huic quaestioni affinis est altera illa: utrum depositarius pecunia deposita uti possit ubi dist. videtur utrum ea fuerit ob signata nec ne, priori casu negatur *per l. 29. h. t.* posteriori vero affirmatur *per l. 24. h. t.*

XX.

Effectus ortus est actio, eaq; triplex, directa, utilis & contraria. *Directa* poterit definiri quod sit actio civilis §. 3. *Inst. de act.* (oritur enim ex negotio civili & contractu nominato, *l. 7. §. 1. de pact.*) personalis §. 1. *Inst. de act.* bonae fidei §. 28. *Inst. de act.* rei persecutoria §. 17. *Inst. de act.* (excipiendus est casus ubi tumultus, naufragii, incendii causa depositum, tum enim mixta est & partim rem, partim poenam persequitur *d. §. 17. de act.*) perpetua, *l. 18. hic* (excipiendus iterum casus depositi necessarii, ubi saltem est annalis in heredem,) quae datur deponenti adversus depositarium, ad rem in specie cum omni causa restituendam. Competit autem (I.) ex ipso deposito. Ubi tamen sciendum, solam depositionem non sufficere; sed requiri insuper ut depositarius fidem contractus non servet, & rem non restituat, eo loco, tempore, & sub ea conditione, de qua convenerit. *l. 1. §. 22. h. t. l. 5. §. 1. l. 12. §. 1. eod.* melius tamen est quandoq; praescriptis verbis agere *l. 18. de praesc. verb. II.* Si rem reddat deteriorē *l. 1. §. 16. h. t.* idq; dolo suo *l. 18. §. 1. commod. l. 42. ad leg. Aqu.* quamvis enim subtiliter dici possit reddita re, quae deposita est, hanc actionem cessare: quia tamen bonae fidei non convenit, ut res deterior reddatur atq; data erat, huiusmodi restitutio hanc interpretationem accipit, redditam non videri aut esse rem, quae deterior reddita est. *l. 1. §. 16. h. t.* III. Si testamentum apud se depositum v. g. notarius aliis praelegit, *l. 1. §. 38. h. t.* vel instrumenta apud se deposita adversario prodidit aut ea dele-
levit.

levit. l. 41. §. 1. cum leg. seq. ad l. Aquil. l. 38. §. 8. & 9. de pæn. & l. 1. §. 6. ad leg. Cornel. de falsis. dubium enim non est quin is dolo agat qui tabulas testamenti atq; ita secreta testatoris iudicia vulgavit, adeo ut eo nomine & injuriarum, & legis Aquiliae actionibus & leg. Cornelia de falsis teneatur d. leg. Quomodo inter alias dissidii & inimicitiarum causas inter Casarem & Antonium & hanc fuisse Dio prodit, quod Casar Antonii vivi & superstitis testamentum divulgatum publicasset. Competit IV. ex contrectatione rei à depositario invito deponente facta; ex ea enim deponenti præter furti actionem, etiam depositi actio datur. l. 29. pr. h. t. l. 3. C. eod. quod tamen in speciebus depositis, iisque rebus quæ ut certæ species depositæ sunt, tantum obtinet; ac nec in illis semper. Nam si depositarius existimaverit se non invito domino id facere (hoc est contrectare rem depositam,) tum nec furti nec depositi ullo modo tenebitur per l. 76. de furtis. ubi tamen dicentis se credere dominum permisurum fuisse, non statur juramento, nisi causas alleget probabiles, quibus inductus credendum putarit dominum permisurum esse. V. & postrema causa ex qua actio hæc nascitur, est cum is apud quem res deposita est, eam restituere noluit, nisi nummis acceptis l. ult. h. t. nam etiam si res deposita incorrupta & sine mora reddita sit; tamen deponenti hæc actio ad mercedem inique postulatam ac extortam repetendam datur. d. l. ult. bonæ siquidem fidei congruum non est, pecuniam accipere ut reddatur id, quod gratis restitui debuit.

XXI.

Datur autem hæc actio 1. ipsi deponenti §. 3. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. nam regulariter depositum ei, qui deposuit, restituendum est, l. 31. h. t. exceptis duobus casibus supra indigitatis. I. cum verus dominus cum fure aut prædone concurrat, ibi enim Dominus præfertur quia iustiorē repetendi causam habet. (2.) cum deponens postea depon-

358
deportatus est, nam tunc fisco actio datur *l. 31. h. t. II.* Hæredibus illius, quia est rei persecutoria, adeoq; ex natura earum actionum etiam ad hæredes transit. *l. 1. §. 19. h. t. §. 1. Inst. de perpet. & temp. act.* non autem uno eodemq; modo utriq; (deponenti videlicet & ejus hæredibus) datur; sed adhibitis distinctionibus. Nam deponenti quidem datur, non uni tantum, sed & si plures simul deposuerunt; hoc enim fieri posse etiam in deposito simplici colligere promittuntur ex *l. 1. §. 44. h. t. & l. 17. princ. h. t.* verum dist. hic talis adhibenda est, *utrum* plures sic dederint rem servandam ut vel unus repetere queat totam, & hoc casu unusquisq; deponentium in solidum agere potest, ex conventionem quæ legem dat contractui: *an vero* pro parte deposuerint pro qua sc. eorum interest, tunc enim ad illam partem duntaxat quisq; eorum; non vero in solidum aget, *per d. l. 1. §. 44. h. t.* Datur III. domino rei depositæ qui per procuratorem deposuit; ubi tamen videndum, cujus nomine is deposuerit: nam si domini nomine deposuerit, domino actio dabitur; quod si vero suo nomine, tunc ipsi, non domino, actio competet; quam tamen actione mandati cedere cogetur domino, *per l. 1. §. 11. h. t.* IV. Domino servi deponentis. *l. 1. §. 17. 32. h. t.* idque obtinet non tantum si proprius servus, sed & si is in quo jus habemus deposuerit ut est servus usufructuarius, hæreditarius, communis, & qui bona fide possidetur, quia & per hos dominis certis ex causis acquiritur, *juxta d. l. 1. §. 27. & seq. h. t.* licet etiam servus sit alienatus ab eo domino, cui semel actionem quaesivit, nihilominus ei domino adhuc actio competit, cujus servus fuit depositionis tempore; non novo domino, quia initium contractus in his spectatur, non vero eventus. *l. 1. §. 30. h. t.* V. Ipsi servo, *l. 11. h. t.* ubi regula & exceptiones. *Utilis* autem actio datur. I. filiofamilias si v. g. mater deposuerit & pacta sit, ut se mortua filiofamilias res deposita restituatur, *l. 26. h. t.* dandum enim hoc est summæ & enixæ affectioni matris erga filium, (sicut & hoc datur af-

fectioni avi, erga nepotem vel neptem l.45. solut. marr.)
atque ita videtur potius esse fideicommissum per præce-
ptionem arg. l. ult. §.4. de legat. 2. Et de marris quidem af-
fectione, quæ præbeat causam utili actioni, etiam est l.45.
§.2. de V.O. II. Si quis res alienas deposuit pactusq; sit do-
mino eas restitui, tunc enim domino, si deponentis hæres
non extiterit, utilis actio dabitur l.8. C. ad exhibend.

XXII.

Competit hæc actio I. adversus eum qui rem deposi-
tam suscepit: nam hic ex depositi causa obligatus est. §.3. l.
quib. mod. re contrah. oblig. sin vero apud plures deposita
res sit, adversus unumquemq; eorum hæc actio datur, &
quidem in solidum; nec liberabitur alter, si cum alio aga-
tur: quia non electione, sed solutione & restitutione libe-
ratio contingit. l.1. §.43. h.t. apud unumquemq; n. in soli-
dum deposita res putatur; atq; ita alia ratio est eorum atq;
duorum reorum debendi, de quib. in l.2. de duob. reis. His
consequens est quod si ambo dolum commiserint, & al-
ter quod interest, deponenti præstiterit, alterum liberari
exemplo duorū tutorum l.15. de tut. & ration. distr. Quod si
vero alter vel minus, vel nihil facere possit, ad aliū perve-
nietur, l.1. §.43. II. Adversus eum cujus nomine tanquam
custodituri depositum est. l.1. §.14. h.t. III. Adversus de-
positarii hæres, etiam ex dolo defuncti in solidum l.7. §.
1. h.t. facit l.175. de reg. juris, ubi tamen excipiendum ve-
nit depositū incendi, ruinæ, naufragii causa factum, nam
ibi depositarius inficiando in duplum condemnatur, hæ-
res vero ejus saltem in simplum. l.18. h.t. quia videtur esse
ex delicto, l.18. h.t. vid. Cujac. ad l.38. de reg. jur. Quod si ex
suo dolo hæres conveniantur, is qui dolum commisit
in solidum tenetur, l.9. h.t. sin vero plures dolum commi-
serint in re deposita; siquidem res dividua sit, in partes ob-
stricti erūt, sin vero individua in solidum, l.2. h.t. Sed hæc
in successore universali tantum, non vero in singulari ob-
tinent

D tinent



tinent; & propterea si quis rem à depositario sibi mutuo
 datam, aut alio titulo traditam susceperit, adversus hunc
 depositi actio non datur. *l. 8. C. hic.* is enim non repræsen-
 tat personam defuncti, ut successor universalis; poterit ta-
 men easdem res deponens aut ejus heres à possessore vin-
 dicare. *l. 8. Cod. ad exhibendum.* IV. Adversus dominum
 servi & patrem filii familias, qui rem depositam suscepit,
 quo casu est actio de peculio *l. 1. §. 42. h. t.* idq; non tantum
 ex dolo servi & filii familias, sed & illorum in quorum po-
 testate hæ personæ sunt. V. Adversus ipsum filium fami-
 lias, *d. l. 1. §. 42. h. t.* imo etiam adversus filium emancipa-
 tum & servum manumissum, (qui tamen aliàs ex contra-
 ctu in servitute inito non convenitur post manumissionē
t. t. C. an. serv. ex suo facto) si rem teneant, *l. 21. h. t.* VI. Ad-
 versus depositarii fidejussorem, qui in litis æstimationem
 damnatus, rem facit depositarii. *l. 30. h. t.* Contra pupil-
 lum vero an datur, quæstionis est? & regulariter negan-
 dum videtur, *per pr. Inst. de auct. tutor.* nisi doli capax sit,
 & dolam commiserit, *l. 1. §. 15. h. t. facit. t. t. extr. de delictis*
puerorum. aut inde locupletior factus: illo casu datur in so-
 lidum, hoc vero in id quod ad eum pervenit.

XXIII.

Objectum adæquatum hujus actionis est res deposi-
 ta restituenda in eadem specie s. in individuo. Natura n.
 hujus contractus, *ut supr. dict.* hæc est, ut neq; dominium,
 neque possessio rei transferatur in depositarium; sed sola
 custodia depositario commendetur. *vid. C. l. A. d. 7. n. 5. h. t.*
 Veniunt præterea in hanc actionem etiam res accessorie. *l.*
1. §. 41. h. t. ubi tamen tenenda est superius data distinctio:
 Et quia bonæ fidei est, non nuda res in petitionem & resti-
 tutionem venit, sed & fructus, partus, omnesq; accessiones
 debebuntur. *l. 1. §. 24. h. t.* An vero etiam usuræ in hanc
 actionem veniant quæstionis est? ad quã determinandam
 distinctio adhibenda talis videtur: Usuræ in deposito exi-
 guntur

guntur v
 pactum v
 mora pr
 quia esse
 ti, si usur
 da re dep
 fecit in c
 apposito c
 & vend.
 stea & ex
 nem par
 C. de pad
 plum, in
 rius infi
 dema ver
 Porrò E
 regular
 l. 1. §. 20
 mani p
 to obtu
 conver
 casib. f
 cedat,
 si depo
 in caut
 ierit,
 dolo fe
 Jurisco
 dicere
 missa
 proba
 l. 5. C. d
 mitur
 sum s



guntur vel ante moram vel ex mora. *Ante moram* vel *citra pactum* vel *ex pacto*. *citra pactum* non debentur nisi ex mora propria dicta seu personali, propria quadam ratione; quia esset contra bonam fidem & contra naturam depositi, si usuris alligaretur is, qui beneficium dedit, in recipienda re deposita & custodienda, quique nunquam moram fecit in ea reddenda. *Ex pacto* ab initio vel *incontinenti appposito* debentur *l. 13. C. de pactis. l. 5. C. de pact. inter empt. & vend.* Ex intervallo vero non item: nam pacta quæ postea & ex intervallo fiunt, legem dare contractui aut actionem parere non possunt, sed tantum exceptionem. *d. l. 13. C. de pact.* Agitur autem hac actione regulariter in simplicium, in deposito vero necessario, eo casu quo depositarius inficiatus fuerit, in duplum, §. 23. *Inst. de act.* In heredem vero ejus saltem in simplicium & intra annum, *l. 18. h. t.* Porro Præstationes quæ in hanc actionem veniunt, sunt, regulariter, dolus, non tantum præteritus; sed & futurus, *l. 1. §. 20. h. t.* & lata culpa *l. 32. eod.* Ad levem enim & levissimam præstandam depositarius non tenetur, nisi se deposito obtulerit. *l. 1. §. 35. h. t.* vel pacto illud inter contrahentes convenerit. *l. 1. §. 6. h. t. c. 2. extr. de deposito.* Idem obtinet in casibus fortuitis: Exceptio est si dolus casum fortuitum præcedat, vel lata culpa aut mora. *Meierus. de culpa. l. 119.* puta si depositarius rem depositam alienet eamque postea redimat in causam depositi. nam etiãsi postea sine dolo malo perierit, tamen depositarius de hoc casu tenetur; quia semel dolo fecit alienando rem custodiæ suæ commissam, *inquit Juriscons. in l. 1. §. 25. h. t.* Non etiam satis est depositarium dicere & nude allegare, casu fortuito rem fidei suæ commissam esse ablatam; sed hanc suam allegationem etiam probare tenetur. *l. si credit. C. de pig. act. l. 9. §. Imperat. locat. l. 5. C. de fid. instrum.* in dubio n. casus fortuitus non præsumitur. Et quidem probare debet non tantum casum adversum sibi accidisse, sed & quod per casum illum allegatum,

jung. Treut
consil. 34.

D 2

res de-

- res deposita amissa sit, *l. 1. C. h. t. lata culpa autē hīc definitur quod committatur, quando quis in suis rebus custodiendis majorem adhibet diligentiam, quam in alienis. Unde*
- Q. quæstio exurgit, si quis in rebus fidei suæ cōmissis summē fuerit negligens excusari possit eo, quod etiam in propriis talis esse consueverit? Quod negatur, nimia enim & supina ejusmodi negligentia, ut in propriis rebus culpanda, ita in alienis coercenda venit, *l. 24. §. 5. solut. matr.* Quaritur etiā
- Q. si ante rem judicatam res deposita interciderit interitu naturali, cujus sit periculum; deponentis an vero depositarii? Ad deponentem spectare verius videtur, *per l. 14. §. 1. h. t.*

XXIV.

Forma actionis interna ac ut sic dicam, theoretica, jam supra th. 20. in ipsa definitione est indicata. Practica est ex parte actoris vel agendi, vel probandi, ex parte judicis, condemnandi & exequendi.

Forma agendi hæc est. Quas res apud te deposui, eas te mihi ex bona fide restituere oportere ajo: cumq; etiam de fide rupta agatur *l. 5. h. t.* addi potest, quod fidem rebus depositis non præstes, eo nomine in tantum mihi condemnandum esse.

Formam probandi quod attinet: si actor vel deponens aurum & argentum infectum deposuit, pondus dicat: si factum; puta scyphum, lancem, pateram, speciem: quod si purpuram infectam aut lanam deposuit, pondus etiam adjiciat. Si vero quantitatem neque per testes, neque per instrumenta possit probare, tunc ad jusjurandum tanquam subsidiarium remedium devenitur, *Nov. 73. c. 4. & tum juranti actori creditur. l. 1. §. 40. h. t.*

Actoris intentione sic probata, judicis partes erunt inspicere, utrum reus habeat restituendi facultatem nec ne. Si nō habeat restituendi facultatem neq; dolo fecerit, quo minus haberet, absolvendus venit, *l. 20. h. t.* Quod si vero restituendi facultatem habeat; tunc illico res restituenda.

si tuenda erit, nulla exceptione admissa, *l. ii. C. h. t.* Sin vero per contumaciam non restituat; tunc vel manu militari aufertur. *l. 68. de rei vend.* vel in litem juratur. *l. 5. de in lit. jurand. l. i. §. 26. h. t.* Quod si vero dolo fecerit quo minus haberet, tunc juratur in litem etiam in infinitum, *d. l. 68. de rei vend.* dolo autem fecisse censetur, qui scit aut ad minimum scire potest; (paria enim hæc sunt,) se restituere debere, & tamen, sine ulla justa causa, restitutionem detrectat. *l. i. §. ult. h. t. l. 8. §. 9. Mandat.*

Forma exequendi, eo quidem casu quo pecunia ob signata deposita, unusque ex hæredibus venit eam reprensens, wie deponirte Geldter ordentlich sollen erhoben werden/ designata est in *l. i. §. 36. h. t.*

XXV.

Quoniam autem multa singularia in depositi directo iudicio recepta sunt; paucis ea percurrere animus est: & I. quidem sciendum, quod non ordinario, sed executivo & summario processu hic utamur *l. penult. verb. illico & ibi d. C. deposit.* quamvis regulariter nullum instrumentum super contractu iure communi, paratam habeat executionem: quando itaq; de deposito constat per instrumentum, ad executionem statim proceditur, & in ipsa executione quadrimestre solvendi spatium depositario non conceditur. *Wurmbs. pract. obs. l. t. 23.* quod tamen aliàs debitoribus ad solvendum iudicatum, concedi solet *l. 2. Cod. de usfr. rei judic.* II. Nulla prorsus compensatio, deductio, retentio admittitur, *l. ii. C. h. t. l. ult. C. de compens. l. 14. §. 1. de non numerata pecunia.* quod quidem olim etiam obtinuisse ante Justiniani tempora putat Cujac. *2. sentent. Pauli tit. 12.* ob necessarias tamen impensas retentionem esse vult. Pacius in tract. *depos. §. 87. & ad l. ult. de compens. n. 13. quem sequitur Locam. quest. 374.* Et sensere idem aliquando Glossa & Bald. in *l. penult. Cod. deposit.* quod non omnino improbandum videtur, cum impensæ necessariæ constituent

D 3.

quasi

quasi jus in re *arg. l. 38. de hered. petit. l. 5. de impensis in rem
 dotal. factis.* & impendantur, quasi ex tacita conventionem
vid. Bachov. 1. disput. 26. III. Qui hac actione experitur
 omnibus creditoribus, etiam privilegiatis præfertur. *l. 7.
 §. 2. h. t. Stracha de decoctoribus p. ult. n. 1. & seq.* In pecunia
 tamen deposita dist. utrum deponens usuras pecuniæ de-
 positæ acceperit nec ne; priori casu non separatur à cæte-
 ris creditoribus, ideoq; est post privilegia; nisi nummi de-
 positi adhuc extant eosque deponens vindicet; tum enim
 erit ante privilegiatos, qui vindicat. *l. 24. de reb. auct. jud.
 possid.* Posteriori verò casu omnib. præfertur, *d. l. 7. §. 2. h. t.*
 An etiam mulieri in rebus mariti qui depositum suscepit?
 Ita videtur *arg. l. 5. §. 10. Ut in poss. Vaud. 1. var. quest. 21.* IV.
 Non potest etiam depositario denunciari à tertio quo-
 dam, ne restituat; quod tamen in aliis causis licet. *l. 11. cum
 Authent. Cod. de pos.* Utrum vero hæc depositi privilegia
 etiam in irregulari locum habeant, varie agitatur? Molin.
de usuris num. 637. & seq. etiam locum habere putat, quod
 etiam probat Mozz. in tract. de pos. n. 8. de substantialib. Quæ
 sententia tolerari posse videtur cum in *l. 24. de reb. auct. jud.
 poss.* etiam si usuræ pecuniæ depositæ accipiantur, adeoq;
 depositum irregulare fiat; tamen eo casu quo nummularii
 foro cedunt & pecunia deposita adhuc extat, ante privile-
 giarios habeantur. Facit etiam huc quod privilegia ista ferè
 generaliter, sine distinctione, deposito tributa sunt adeoq;
 generaliter etiam intelligenda. *arg. l. 8. de public. act.* Illud
 etiam *ἀξιωματικὸν δὲ τῶν* hic occurrit, quod in depositarium,
 qui depositum dolo inficiatur, pœnæ sint constitutæ gra-
 vissimæ, idq; tam jure divino, quam Gentium & Civili: Et
 jure divino quidem qui proximo depositū fidei suæ com-
 missum, negat; convictus delicti reddere tenetur omnia
 quæ per fraudem voluit retinere; & insuper quintam par-
 tem, *Levit. c. 5. & div. Ambros. 2. offic. c. 29.* Jure gentium
 vero apud Pisidas abjurans depositum, morte plecteba-
 tur,

restē Alex. ab Alexand. lib. 6. genial. dier. c. 10. Apud Spar-
tanos ex oraculo Apollinis ipse depositarius cum universā
familia urbe eiciebatur. Herodot. lib. 6. & Juven. Satyra. 13.
Deniq; Jure Civili pœna inficiationis est infamia, l. 10. C. h.
§. 2. Inst. de pœna temere litigantium junct. l. 1. de his qui no-
tantur infam. Ex Constitut. autem Carolina eadem quæ
furti pœna est artic. 170. de reb. capital.

XXVI.

Et hæc quidem de actione directa sequitur Contra-
ria: Ex quibus ea causis oriatur quæstionis est? cum enim
iste contractus sit ex numero *ἢ μὴ μονοπλάσιον*, adeoq; ex uno
latere saltem obstringat; videtur nulla actio depositario
competere? verum dist. hic videtur cum Amplissimo Dn.
Præside in part. Elemen. part. 3. sect. 3. de præstatione culpa §. 1.
inter obligationes quæ ab initio statim vel ex uno vel utro-
que latere obligant, & eas quæ veluti mediæ generis exi-
stentes ex post facto demum utrinq; stringunt. Strictius re-
sumendo *ἢ μὴ μόνου* tantum sunt contractus illi, qui & ini-
tio tales sunt, & semper manent, ut mutuum, stipulatio,
literarum obligatio Cuiac. in not. ad tit. de obligat. ex con-
sensu. At aliqui origine tales cum sint, ex post facto tamen
fiunt *ἢ μὴ μόνου*, ut commodatum, & quod hujus loci est,
depositum, in quibus tamen unius utilitas præcipue ver-
titur. Contraria itaq; est quæ datur depositario adversum
eum, qui deposuit, ad repetendos sumptus in rem deposi-
tam factos, l. 5. h. t. Non enim gratis hæc à depositario
præstanda sunt; quia nemini officium suum, (quod ejus-
cum; quo contraxit, non etiã sui commodi causa susce-
pit) debet esse damnosum, l. 7. quemad. test. ap. l. 61. de furt.
Nascitur autem hæc actio I. Si quos in rei depositæ custo-
diam restitutionemq; sumptus fecerit, d. l. 5. h. t. II. Si ob
rem depositam damnum datum fuerit, v. g. si servus depo-
situs depositario furtum fecerit, l. 31. de pign. act. Competit
autem depositario ejusq; heredibus adversus deponentem
& ejus

A
& ejus hæredes, ut indemnes serventur *d.l.s. h. venit etiam*
in hoc iudicium error calculi, *l.6. §. ult. de his qui not. in-*
fam. item interesse, si quis v.g. sciens deponeret rem per-
niciosam: de dolo autem & fide rupta hic non agitur. *d.l.*
s. h. unde consequens est, hoc iudicio damnatum, infa-
mem non fieri *§. 2. Inst. de pæn. tem. litig.* nec etiam in li-
rem jurari *d.l.s.* Illud coronidis vice notandum occurrit,
prout in *tit. de contr. empt.* interdum emptoris & vendito-
ris nomina promiscue usurpantur, ita ut is venditor ap-
pelletur, qui sit emptor, *Annotante. Cuiac. i. observ. X.* ita
etiam hoc loco nomina deponentis & depositarii quan-
doq; commutari, ita ut is vocetur depositarius, qui sit de-
ponens *l.7. §.2. & ult. h. i. l. 24. §.2. de reb. auct. iud. poss.*

XXVII.


Q. Expeditis consentaneis restant dissentanea sive contraria
inter quæ maxime elucet, quod depositarius, si rem in loco pu-
blico deponat, omni actione liberetur, *l.1. §.36. h. t.* Quæritur
etiam hic an cum reo seu depositario, semel absoluto denuo agi
possit? quod certo respectu affirmandū videtur *per l.20. h. t.* Cate-
ra, cum ex singularum causarū contrariis colligi possint & passim
in *h.* jam indigitata sint, itaq; ad affinia & concurrentia remedia
transitum facio ubi I. occurrit actio de recepto adversus nautas,
caup. stabularios. *l.3. §.1. Naut. caup.* II. Actio furti, si deposita-
rius rem depositam invito domino contrectavit & in usus suos
convertit. *l.29. p. h. t. l.3. C. eod. l.67. princ. de furt.* III. Actio
legis aquiliæ, si res deterior reddatur *l.41. & 42. ad l. Aquilia.* IV.
Actio ad exhibendum, *l.33. h. t. l.4. & 8. Cod. ad exhibend.* V. Rei
vindictio *l.1. Cod. hic. l.9. de rei vend. l.24. §.2. de reb. auct. iud. poss.*
VI. Actio præscriptis verbis, *l.18. præscript. verb.* VII. Accusatio
falsi. *l.1. §.6. ad L. Cornel. de falsis.* Quæ omnia cum in expositione
causarum latius fuerint proposita, pedem hic figo, ube-
riorem difficilis hujus contractus, evolutionem,
felicioribus aliorum ingeniis re-
linquens.


DEO Sit Laus Honor, & Gloria
in sempiterna Secula.

(X225 7025)

VDA7







alien. per
it. De po-
sse videa-
ubi nimi-
ure vafal-
eventurus
demus, si
afallum a
nvis cum
c. i. n. 118.
hanc rati-
le donat. l.
ur: tamen
em. Nam
arg. c. inf.
feudum,
a invitum
Sed hæc
iant.
& Honor

DISPUTATIO JURIDICA
DE
DEPOSITO

807.

1653, 14.

Disp. 11.

12

QUAM
DIVINA ANNUENTE GRATIA
SUB PRÆSIDIO
Nobilissimi, Consultissimi & Excellentissimi
VIRI

Dn. JOH. OTTONIS TABORIS,
U. J. D. ET ANTECESSORIS IN INCLU-
ta Argentoratensium Universitate Primarii, Juridicæ Fa-
cultatis p. t. Decani, Codicis & Placitorum Feudalium
Professoris celeberrimi, Patroni Magni, Fautoris, &
Præceptoris sui, devoto animi cultu æta-
tem prosequendi,

Instituit & Proposuit
JOH. HIERONYMUS TREUDEL,
MENO-FRANCOFURTANUS.

Ad diem 16. Junii.

ARGENTORATI
Typis JOSIÆ STÆDELII, ACADE-
MIÆ TYPOGRAPHI.

Anno MDC LIII

7

28.

